

No. 441. Duo fasciculi foliorum palmeorum literis tamulicis inceptorum.

442. Cod. hebr. membr. foll. 645, fol., continens libros V. T., trinis columnis scriptos, cum paraphrasi chaldaica singulis versiculis subjecta. Recentius adjectae sunt vocales et utraque Masora, major binis lineis in margine superiore, trinis in inferiore, ubi saepe in speciem animalium, monstrorum aliarumque rerum redacta est; minor ad latus dextrum columnarum. Masora quae aditum ad singulos libros facit, circa primam eorum vocem in medio positam mira spirarum varietate et implicatione scripta est. Ordo librorum est hic: Pentateuchus, Josua, Judices, quatuor libri Regum (i. e. libri Samuelis et Regum continuo ordine scripti), Jeremias, Ezechiel, Jesaias, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Micha, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggai, Zacharias, Malachias, Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Threni, Esther, Psalmi, Jobus, Parabola, Daniel cum Esdra et Nehemia scriptione continua, Paralipomena.

Subscriptio nulla est. Sed posuit librarius nomen suum infimo fol. 70 v., ubi incipit liber tertius Pentateuchi: *Eli' ezer Ha'l-lewi*, et in latere literis minusculis: *Eli' ezer Bar-Schmuel Ha'l-lewi Sofer me-Haran*, Eliezer fil. Samuelis, Levita, Scriba Carris oriundus. Unde nomen Eliezeris Esdr. 10, 31 (f. 585 r.) ab eo coronulis ornatum est. Ceterum vid. *Car. Frid. Bahrdtii de incluto bibliothecae electoralis Dresdensis Codice Bibliorum ebraeorum manuscripto Prolusio*, Lips. 1767.

443. Cod. hebr. membr. foll. 293, fol., character. quadrato majusculo et robusto diligenter scriptus, continens eas V. T. partes easque preces et lectiones quae ad liturgiam Synagogae Judaicae pertinent.

444. Cod. arab. foll. 51, fol. max., ab initio mutilus, character. *ḡulḡi*, alternis lineis auro et atramento scriptus, ita ut eas quoque literas, quae atramento scriptae sunt, ambiat margo aureus. Inest pars Corani: f. 1 r. — 16 v., a verbo secundo v. 167. Sur. 3, usque ad verbum quartum a fine v. 3 Sur. 4; f. 17 r. —

51 r. (quamquam, id quod ex altera parte folii 16 constat, nihil inter hoc et proximum excidit) a verbo quinto et decimo a fine v. 20 Sur. 43, usque ad finem v. 31 Sur. 45. Codicem jam olim, cum Turcis nondum ereptus esset, non plura continuisse, intelligitur e nota quae legitur in margine folii primi et ultimi: *'Ade-di-curūqi-mof' hafi-scherif elli waraqtur*.

No. 445. Cod. pers. foll. 52, fol. max., character. *tha'liq* scriptus, ab initio mutilus atque etiam in iis quae supersunt passim resartus, ita ut locis laceris et evulsis insertae sint chartae vacuae; continens picturas quae pertinent ad historiam antiquam Persarum, ad mythologiam sacram Muhammedanorum maximeque ad historiam Muhammedis, Alii et duodecim Imamorum; quibus e regione respondent versus de earum argumento, et institutiones oratione vulgari scriptae de iis quae his imaginibus portendantur, si inde auspicia capias, ita ut librum temere aperias et quodcumque tibi fortuito oblatum fuerit, ad pro vaticinio arripias.

446. Duo magna volumina, fol. obl., A. KA 501 1580 nitide scripta ab Elia Huttero, „Augusti,“ — ut in titulo est, „Dei gratia Ducis et Electoris Saxoniae etc., pietate et impensis,“ — quae debebant exhibere psalterium, ut ibidem legitur, 22 linguis expressum: graeca, latina, italica, gallica, hispanica, misnica (i. e. germanica superiore, e versione Lutheri), saxonica (i. e. germanica inferiore), danica, anglica, vandolica (s. heneta, ut ab initio Psalterii ipsius est, i. e. ea lingua slavica, qua hodieque utuntur Venedi nostri in Lusatia sedentes), bohemica, polonica, muschoviticā (i. e. russica), croatica, lithuanica, ungarica, turcica, aethiopica, arabica, syriaca, chaldaica, ebraica; e quibus tamen desunt hae decem: saxonica, anglica, vandolica, danica, russica, croatica, lithuanica, ungarica, turcica, syriaca; ita ut in altera quaque pagina ex undecim columnis prioribus vacuae sint quatuor, in altera, quae illi e regione respondet, ex undecim posterioribus sex. Inchoatum quidem est psalterium anglicum et vandalicum, sed ne ad primi quidem

* für einen Teil in de Lippig
Marsilius

444: James David: *Quirons of the Manuscripts*. Cambridge & London 1788.
Lung, Martin: *The Quranic Art of Calligraphy and Illustration*. (Wiesbaden) 1976.